



HENRICVS II. Conradi Franci filius, hic cum imperij coronam accepisset principum consensu Vdalricum Bohemiae regem Tributarium fecit. Petrum ab Hungaris eiectum regno restituit. Hoc principe maxima Romae circa Pontifices erat dissensio Gregorij, Siluestri, & Benedicti, quos ut adulterinos deposuit Imperator, & Sindigerū Bambergensem Episcopum in locum dedit, quem Clementem secundū appellauit, Romanosq; iurciurando adegit, ut in posterum à Pontificum electionibus abstinerent, de inde Capuam nouo praesidio firmās, in Germaniam redijt. xvij. imperij anno moritur, & Spira sepelitur. Vxorē habuit Agnetem Guilielmi Aquitaniae principis filiam.